



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Sectio Quinta. De Dispositione requisita ad gratiam Sacramentorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

Non sequitur peccatorem sub gravi obligatione situm teneri ad poenitentiam

sub gravi obligatione absque mora tenetur poenitere, ne forte tempore opportuno careat illis auxilijs; satis siquidem est, quod non ponat obicem principali effectui, quando Sacramentum suscipit. Ostendo in eo, qui suscepit Eucharistiam, & illa adhuc existente in stomacho peccavit mortaliter; nullus enim docet, eum de novo peccare mortaliter, si mox non resipiscat, quamvis probabiliter impediatur ulteriorem effectum, immo tamen certò impediatur.

163. Oppositum Conclusio nis à quibusdam censetur probabile.

At nunquid doctrina nostra certa? non desunt qui oppositum censent probabile, eò quod gratia praevenientes nullam habeant cum sanctificante naturalem connexionem, & aliunde saepe contingat, constitutum extra gratiam indigere huiusmodi auxilijs non minus, immò saepe magis, quam constitutum in gratia; v.g. ut compati servet fidem &c. sicut (inquit quidam Auctor) in simili dictum est de caractere.

Non rectè hic fit argumentum à simili de caractere.

Simile profectò nimium claudicans: etenim character est quaedam dispositio ad gratiam habitualement consequens immediatè substantiam Sacramenti, ita quod quisquis validè suscipit Sacramentum, suscipiat indubiè characterem, ut ut peccet in ipsa susceptione. Innoc. III. cap. Maiores de Baptismo; ibi: Sicut & is, qui fidè ad Baptismum accedit, characterè suscipit Christianitatis impressum.

Innoc. III.

Adde, non obstante inaequalitate gratiae habitualis, omnes characteres eiusdem spe-

ciei probabiliter esse aequalis perfectionis seu intensioris; nusquam enim docent Concilia, characterem imprimi secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem, quemadmodum id definit Trident. de gratia sanctificante sess. 6. cap. 7. dicens: *Demum unica formalis causa (justificationis impij) est iustitia Dei, non quà ipse iustus est, sed quà nos iustos facit, quà videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae: & non modo reputamur, sed verè iusti naminamur & sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam secundum mensuram; quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem.*

Trident.

Quin etiam nulla prorsus dispositio praerequitur in anima ad impressionem characteris; semper tamen aliqua in homine adulto ad infusionem primae gratiae iustificantis, eodem Concilio eadem sess. cap. 5. declarante ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, quà nullis eorum existentibus meritis, vocantur; ut qui per peccata à Deo aversi erant, per eius excitantè atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae liberè assentiendo & cooperando, disponantur.

idem.

De hac dispositione, ne contingat quempiam ipsius defectu privari fructu gratiae, operæ pretium duxi particularem instituisse Sectionem. Sit itaque

SECTIO QUINTA.

De Dispositione requisita ad gratiam Sacramentorum.

1. Dispositio alia habitualis, alia actualis.

Dispositio est duplex, una habitualis, altera actualis: ista potissimum consistit in habitibus supernaturalibus Fidei, Spei & Charitatis: haec verò in ipsis actibus supernaturalibus Fidei, Spei, Charitatis & Poenitentiae, quos enumerans Concilium Trident. sess. 6. cap. 6. ait: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia praeveniente, & adiuti gratia adjuvante, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata & promissa sunt; atque illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quae est in Christo Iesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à divina iustitia timore, quo utiliter concitantur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in-*

Trident.

spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illum, tamquam omnium iustitiae fontem diligere incipiunt: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem; hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoate novam vitam & servare divina mandata.

Porro si problema hoc excutiendum proponitur, quænam istarum dispositionum sit perfectior? Citra probationem omnium oculis liquidissimè patet, actus cæteris paribus in ratione dispositionis præstare habitibus; hi quippe non disponunt, nisi vel improprie, quatenus per eos homo redditur dignior (ut ita dicam) receptione gratiae, quàm alius, qui ipsi caret: vel remotè solù, quatenus inclinât ad actus, qui sunt proxima & immediata, adde,

2. Actus in ratione dispositionis præstant habitibus.

adde, & necessaria dispositio.

Adhuc miraris? In actibus homo aliquid confert de suo, cooperando gratiæ divinæ; ita ut (verba sunt Trident. supra cap. 5.) *tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam etiam abijcere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam contra illam liberâ suâ voluntate possit.*

Inter actus præfentes ejusdem virtutis præstantiores sunt, qui intensiores.

Neque dubitandum est, quin dispositio præfens aptior sit, quàm quæ præcessit & physicè evanuit, dum actu Sacramentum suscipitur. Inter actus autem præfentes ejusdem virtutis ij sunt præstantiores, qui sunt intensiores, si verò sint actus diversarum virtutum, illi meliùs disponunt, qui perfectiùs à peccato ac creaturis avertunt, & Deo conjungunt, quorum principes sunt actus contritionis & charitatis, tum attritionis & spei. Et quidem melior dispositio in Sacramentis mortuorum apparet contritio, quàm dilectio; quia magis proportionata naturæ Sacramenti; è contra verò in Sacramentis vivorum.

Potest per accidens actus virtutis de se perfectiùs disponere, quàm actus virtutis imperfectioris, si nimirum sit valde remissus, aliter intensissimus. Quis enim nesciat intensissimam attritionem magis avertere à peccatis & convertere ad Deum, quàm valde remissam contritionem? Sed quorsum hæc omnia? Pro intelligentia conclusionum subsequen-
tium, quarum prima sic se habet:

Potest etiam per accidens actus virtutis de se perfectiùs disponere, quàm actus virtutis imperfectioris, si nimirum sit valde remissus, aliter intensissimus. Quis enim nesciat intensissimam attritionem magis avertere à peccatis & convertere ad Deum, quàm valde remissam contritionem? Sed quorsum hæc omnia? Pro intelligentia conclusionum subsequen-
tium, quarum prima sic se habet:

CONCLUSIO I.

Sacramenta sive in eodem subjecto, sive in diversis, causant inæqualem gratiam, quando dispositiones recipientium sunt inæquales.

3. Conclusio est certa ex Trident.

Est certissima ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 7. ubi loquens de iustitia (cujus causa instrumentalis est Baptismus) *quam (inquit) Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem & cooperationem.* Ex quo sic argumentatur Doctor Subtilis 4. dist. 4. q. 7. n. 5. *Si autem baptizati sint adulti, cum illi per motum proprium possint esse inæqualiter di-*

Et sustinetur à Scoto.

positi, & in Sacramento confertur gratia secundum proportionem dispositionis in suscipiente, sequitur inæqualis effectus. Quis ambigit, quin major in meliùs disposito? Enimverò Sacramentum confert gratiam ex opere operato, ac instar causæ naturalis, quæ profectò eò perfectiorem producit effectum, quò subjectum invenit perfectiùs dispositum. Conveniens planè fuit, ut Christus ita institueret Sacramenta, quòd accedens cum maximo fervore & devotione, plùs gratiæ acciperet ex opere operato, quàm accedens eum remissa dispositione; sic enim ex modo institutionis Sacramentorum homines habent magnum calcat ut se debitiè disponant; dum considerant gratiam conferri ex opere operato secundum propriam cuiusque dispositionem; salvâ interim manente causalitate ex opere operantis, quando dispositio est actus meritorius de congruo vel condigno.

Et si dubites, quomodò se habeat ille actus ad effectum gratiæ ex opere operato? Consule dispositiones prævias ad effectus causarum naturalium, & festinè cognosces; quia tantum passivè instar conditionis, sive tanquam removens prohibens; ita ut tota efficientia amplioris gratiæ sacramentalis sit ab ipso Sacramento: quemadmodum si lapis & vitrum æquè distent à sole, vitrum magis dispositum magis illuminatur, cujus illuminationis causa efficiens est sol.

Cæterum sicuti major contritio extra Sacramentum, velut opus operantis, majorem meretur gratiam extrasacramentalem; ita quoque in Sacramento disponit ad majorem gratiam sacramentalem, sive ad majorem gratiam ex opere operato.

Nec dicas: Gratia Sacramenti non correspondet nisi primo gradui dispositionis; nam, præterquam quòd primus gradus unius dispositionis possit absolutè esse melior, quàm primus gradus alterius, si v. g. perfectioris virtutis, melioris intentionis, attentionis, libertatis &c. eadem facilitate & majori fundamento id negatur, quo asseritur; Tridentino (ut audivimus) affirmante, gratiam conferri in Sacramento secundum mensuram dispositionis, quòd falsum est, si non correspondeat nisi primo gradui. Sicuti ergo contritio extra Sacramentum meretur de condigno vel congruo secundum omnes suos gradus; quidni similiter secundum se totam disponat ad gratiam recipendam in Sacramento? nullam invenio rationem disparitatis.

Objicit præterea sibi ipsi Doctor supra n. 1. *Effectus Baptismi magis dependet à con-*
ferente, quàm à suscipiente, sicut effectus un-
versaliter

Qualiter se habeat dispositio ad effectum gratiæ ex opere operato.

4. Non officeret Conclusioni, si gratia Sacramenti solum correspondet primo gradui dispositionis:

Quod tamen est falsum.

5. Obiectio Scoti.

versaliter magis dependet à causa efficiente, quam à materia: apparet etiam in proposito, quia in ministro requiritur perfectior intentio, quam in recipiente, quod non est, nisi quia ab ipso magis dependet Baptismus, quam à suscipiente: sed ministrorum inaequalitas nihil facit ad inaequalitatem effectus Baptismi; ergo &c.

Solutio. Respondet n. 5. in fine: Quod Baptismus plus dependet à ministro, ad hoc ut sit Sacramentum; quia in eo simpliciter requiritur intentio, non sic in suscipiente; quia potest non uti ratione: sed quoad hoc, ut hic effectus maior vel minor recipiatur, magis dependet à baptizato. Ratio à priori voluntas Christi: ex qua proinde

Ratio Conclusionis à priori est voluntas Christi.

6. Sacramentum ex se minus efficit potest maiorem gratiam, quam aliud et se magis efficit, contra.

Objectio solvitur.

Licit in perfectione physica infimum supremi, ut perfectissimum argenti, imperfectissimum aurum; & perfectissimum animal, imperfectissimum Angelum; siquidem augmentum inferioris speciei semper est intra rationem illius: si ergo illa semel est inferior, semper manebit inferior. At verò contrarium saepe accidit in moralibus: sic quippe plures monetae argenteae adaequant & superant in aestimatione morali unam monetam auream, & plura furtiva v. g. aut homicidia unicum odium Dei. Quidni igitur Sacramentum essentialiter imperfectius moraliter possit causare effectum meliorem ratione perfectioris dispositionis subjecti? Nunquid peccatum in ratione sua specifica minus, plus potest demereri ex circumstantia personae operantis, quam aliud majus? Nullus dubitat.

Sequitur secundum corollarium, videlicet parvulum per Baptismum nunquam accipere tantam gratiam, quantum adultus. Expresse docet Scotus supra, ibi: Si compares parvulum adulto, regulariter parvulus nullum meritum habet: adultus quantumcumque tenuem habeat voluntatem, dum tamen consentiat recipere Sacramentum, nec ponat obviam aliquem, videtur habere meritum proprium, ad minus actum aliquem supernaturalis spei, & pro tanto magis dispositus est, quam parvulus; ergo &c.

7. Parvulus nunquam per Baptismum tantam accipiet gratiam, quantum adultus. Scotus.

Sed contra: Potest fieri, quod adultus toto tempore Baptismi peccet venialiter; v. g. si suscipiat Sacramentum ex vana gloria: ergo in illo saltem casu parvulus majorem gratiam recipiet. Probatur consequentia: quia adultus est quodammodo indispositus, parvulus autem nullam habet indispositionem.

Non obstat quod adultus toto tempore Baptismi possit delinquere venialiter.

Respondet cum Doctore supra: Peccatum veniale non prohibet gratiam infundi, nec etiam actum meritorium simul habere; tamen quia anima pluribus actibus non potest simul aequè perfecte esse intenta; actus bonus, cum quo concurrat veniale, est minus intensus, & ideo minus meritorius, quam foret sine illo veniali. Et ad propositum sequitur, quod adultus si non ponit obviam peccati mortalis, & in susceptione Baptismi consentit, aliquem motum habet disponentem, quo caret parvulus; non obstante, quod ille habeat veniale peccatum simul.

Scoti.

8. Raro in Sacramento Pœnitentiæ peccator aequalem gratiam cum iusto accipiet.

Infertur tertio, raro peccatorem in Sacramento Pœnitentiæ tantam accipere gratiam, quantum iustus. Nam quis prudens potest dubitare, quin amicus & filius adoptivus Dei, cæteris paribus melius sit dispositus ad recipiendam gratiam ac alia dona Dei, quam ille, qui inimicus adhuc est, & non nisi per gratiam Sacramenti fit amicus? Sicuti ergo omnia opera bona, etiam minimæ perfectionis essentialis, in homine iusto merentur de condigno gratiam & gloriam, ubi opera quantumvis maximæ perfectionis essentialis, in homine peccatore ad summum sunt meritum congruum; ita minimè timeo, nè per Sacramentum, cæteris paribus, iustus majorem accipiat gratiam ex opere operato, quam peccator. Interim tamen tam exigua & remissa posset esse contritio unius, & tam intensa attritio alterius, quod fortè contrarium eveniret.

Sed cum hæc satis consent, controversia equidem non modica existit inter Doctores Catholicos, quæ & qualis præcisè dispositio requiratur ad effectum singulorum Sacramentorum? Cum autem omnes consentiant, non eandem dispositionem esse

esse necessariam in homine peccatore & homine iusto; hinc incipiendo ab homine peccatore, assero sine ulla formidine de proposito:

CONCLUSIO II.

Adultus peccator nullo casu reportabit fructum ex Sacramento sine actu supernaturali, qui communiter erit perfecta contritio, vel imperfecta, quæ attritio dicitur.

9.
Necessitas
Contritio-
nis ex Tri-
dentino.

Contritio in genere est animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Ita Trident. sess. 14. cap. 4. in principio, illic subjungens: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius; ad minus necessitate præcepti. Quidni etiam medij? Haud dubito, si per contritionem intelligas dolorem explicitum vel æquivalentem actum charitatis sive spei. De quo alibi latius.*

Sufficiat pro præsentia, vix aut ne vix quidem posse contingere, ut peccator credat impium justificari per gratiam Christi, speret Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tamquam fontem omnis iustitiæ diligere incipiat, & non continuo moveatur ad formalem detestationem suorum peccatorum.

Unde (quod bene notandum est) Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. (quod intitulatur: *Modus præparationis ad iustificationem in adultis*) postquam enumerasset actus Fidei, Spei & Charitatis, continuo atexit: *Ac propterea* (id est, quia credunt, sperant & diligunt) *moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam penitentiam, quam ante Baptismum agi oportet. Penitentiam* (inquam) *id est, contritionem perfectam vel attritionem.*

Contritionem perfectam voco, quæ hominem Deo reconciliat, priusquam Sacramentum actu suscipiatur: attritionem vero sive contritionem imperfectam, quæ quamvis sine Sacramento per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponit.

Per adultum peccatorem intelligo hic, qui in adulta ætate mortaliter peccavit; de quo sic loquitur Trident. supra cap. 1. cir-

ca medium: *Fuit quidem penitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi Sacramento ablui perisissent. Quid illustrius dici poterat?*

Atque, ut omittam innumeras Scripturas, quæ penitentiam postulant pro peccatis; solum adduco, tamquam magis ad propositum, verba Apostoli Petri Act. 2. v. 38. *Penitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* Hinc Doctor Subtilis 4. dist. 4. quæst. 5. n. 2. *Alio modo potest aliquis esse fideus, ostendendo se esse dispositum ad recipiendum Sacramentum; & tamen non est dispositus interiorius, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu vel præteritum, de quo nullo modo atteritur vel conteritur. Loquitur de Sacramento Baptismi. Ergo Baptismus non justificat sine prævia attritione vel contritione. Eadem & major est ratio de Sacramento Penitentiae.*

Credam autem Sacramenta vivorum posse, quod non possunt Sacramenta mortuorum? Credat qui volet, mea & communis sententia est, ad omnem justificationem hominis peccatoris, utpote rem maximè supernaturalem, prærequiri dispositionem supernaturalem, saltem in modo, quod non obscure docet Concil. Trident. sess. 6. can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut penitere posse sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Neque Scotus usquam contrarium supponere videtur, ut perperam colligit Hiquæus in suo commentario 4. dist. 9. q. unica n. 46. ex hisce verbis Doctoris n. 2. *Si autem non sit negligentia crassa, puta quia præcessit examinatio sufficiens, & nullum occurrit peccatum, de quo non fuerit vel sit contritus & confessus prius, non peccat communicando, licet aliquid forte lateat vel traditum fiat oblivioni. Et infra: Dico, quod diligenti inquisitione facta secundum possibilitatem nostræ fragilitatis, & præmissa contritione & confessione, quantum videtur homini sufficere, si tunc communicat, non peccat: imò si quæ alia peccata lateant, per istud Sacramentum etiam remittuntur.*

Non facit mentionem (inquit Hiquæus) dispositionis per attritionem: ergo videtur supponere in eo casu absque attritione de peccato hominem justificari per Sacramentum Eucharistiæ. Subtilis profectò argumentatio! Ut quid meminisset attritionis, quando præcessit contritio & confessio?

Quin

10.

Et Apostolo
Petro Act. 2.

Scotus

11.
Nullibi
Scotes con-
trarium
supponit.

Sect. 5. De Dispos. req. ad grat. Sacr. Concl. 2. 111

Quin immò, qui fecit mentionem contritionis & confessionis, nonne dememinit attritionis? Potius videtur hic Auctor dememinisse attritionem à Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. vocari contritionem imperfectam. Aut fortassis ignoravit, reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem confessione inclusa esse, & absolutione remissa? Non potuit ignorasse propter nimis claram decisionem Concil. Trident. sess. 14. cap. 5.

12. Nec locutus fuit de peccatis commissis post confessionem. Quod male collegit Valquez.

Quid ergo? Intellexit Magistrum suum cum Vasquesio disp. 205. cap. 3. n. 18. de peccatis commissis post confessionem: Intelligere debet (inquit Vasq.) peccata quæ post confessionem commissa fuerunt, & ipse invincibiliter ignorat: nam si ante confessionem commissa essent, nemo diceret per hoc Sacramentum remitti, si quidem per Sacramentum confessionis remissa essent.

Immò verò intelligere non potest peccata, quæ post confessionem commissa fuerunt; alioquin convincitur falsa probatio Scoti: Quia (inquit) post talem inquisitionem contritus & confessus si moveretur, salvaretur: non autem requiritur maior examinatio ad communicandum, quam ad secure moriendum. Nunquid peccator salvaretur absque contritione perfecta aut dilectione Dei super omnia, si post diligens examen non occurreret peccatum post confessionem commissum, & sic moreretur? Absque dubio si illi Auctores interrogati fuissent, unâ voce negassent.

Loquitur ergo Doctor non in casu nostra conclusionis, qui supponit peccatum actuale non remissum, neque retractatum per aliquem actum supernaturalem; sed de homine justo, qui ex in advertentia & inculpabili ignorantia omisit confiteri aliquod peccatum mortale, quod quidem indirectè remissum fuit per absolutionem, insuper tamen etiam remittitur per Eucharistiam, utique collativam novæ gratiæ ejusdem infimæ speciei ac naturæ cum prima gratia justificante; ut sensus sit: Si tunc communicat, non solum non peccat, sed etiam accipit fructum Sacramenti, id est, gratiam remissivam peccatorum, saltem secundariò, ut infra patebit. Neque hæc locutio censeri debet incongrua; nam Baptismus verè remittit peccata antea per contritionem remissa, & secundum Sacramentum Pœnitentiæ peccata remissa per primum.

13. Conclusio non præcisè ex natura Sacramenti

Itaque Sacramentum peccatori adulto nequaquam confert primam gratiam justificantem absque omni prævio actu voluntatis supernaturali, non præcisè ex natura

Sacramenti, sed ex generali decreto Dei, quo voluit & fixâ lege statuit impium haudquaquam justificare, nisi gratiæ divinæ liberè assentiendo & cooperando disponatur. Quæris, ubi scriptum sit? Audi Trident. sess. 6. cap. 5. Unde in sacris litteris cum dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos; libertatis nostræ admonemur. Cum respondemus: Convertite nos Domine ad te, & convertemur; Dei nos gratiâ præveniri consitemur.

sed ex generali Dei Decreto est sita manda.

Trident.

Ex dictis colligere fieri posse, ut quis recipiat Sacramentum & sine peccato & sine fructu. Casus sit, quando quis bonâ fide existimans se attritum aut contritum, cum reverè non sit, accedit ad Sacramentum: talis quidem non peccat, quia alias (ut inquit Scotus supra) quislibet se exponeret periculo, communicando, quia dicit Psal. Delicta quis intelligit? Et Eccles. 9. Nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit: Ergo si oporteret communicantem scire se esse in charitate, quislibet communicando exponeret se periculo, nesciens an illo actu peccaret. Sicut autem charitas incerta est, ita quoque attritio aut contritio: cumque Sacramenta instituta sint pro hominibus viatoribus; non est verisimile Deum exigere physicam certitudinem debita dispositionis; quia talis certitudo (ut ibidem Doctor loquitur) non convenit viatori.

14. Potest recipi sacramentum & sine peccato, & sine fructu. Scotus.

Psal. 18. v. 13. Eccles. 9. v. 2.

Si inferas: Ergo Deus etiam tali casu confert effectum Sacramenti, supplens ex misericordia sua inculpabilem defectum suscipientis, propter inconvenientiam, quæ alias sequeretur; quemadmodum Ecclesia supplet defectum jurisdictionis in confessario, qui bonâ fide & communi errore habetur pro legitimo. Respondeo negando consequentiam: quippe eadem ratione sequeretur Deum supplere defectum materiæ, formæ, ministri &c. quando bonâ fide putantur adesse, quod hæcenus nemo asseruit, neque asseri potest, cum pendeat à libera voluntate Dei, cujus nullum extat nè minimum indicium; sicut constat ex jure & communi sensu Doctorum, Ecclesiam supplere defectum jurisdictionis, de quo suo loco.

15. Nequit dici Deum supplere inculpabilem defectum suscipientis.

Quæ cum ita sint, atque in omnibus scholis communiter recepta; dubitatur equidem, an ad aliqua Sacramenta sufficiat contritio imperfecta, & ad quæ? Pro responsione notandum aliqua vocari Sacramenta mortuorum, ut Baptismus & Pœnitentia, quoniam principaliter instituta ad primam gratiam, sive vitam conferendam: cætera autem, ut Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium,

monium, Sacramenta vivorum, quorum primarius finis est augmentum primæ gratiæ. Et verò convenit inter Theologos aliam requiri dispositionem in Sacramentis mortuorum, aliam in Sacramentis vivorum. Sit itaque

CONCLUSIO III.

Contritio charitate perfecta non est necessaria dispositio in Sacramentis mortuorum, neque medij necessitate, neque præcepti.

16. Probatio ex ly mortuorum.

Est certa & communis. Etenim quid aliud significat ly Mortuorum, quam illa Sacramenta licetè suscipi à mortuis? Quis autem mortuum dixerit, quem contritio charitate perfecta Deo reconciliavit, priusquam Baptismus vel Pœnitentia actu suscipiatur?

Qualiter in contritione includatur votum Sacramenti

Si objicitur: In illa contritione includitur votum Sacramenti, ut docet Trident. sess. 14. cap. 4. Respondent aliqui, non aliter, quam votum cuiuscumque alterius operis præcepti v. g. communionis, restitutionis &c. Siquidem ideo tantum contritio charitate perfecta dicitur includere votum Baptismi aut Pœnitentiæ; quia virtutè continet voluntatem implendi omnia, quæ Deus à nobis requirit. Unde sicut communio vel aliud opus præceptum non dicitur nos justificare ratione contritionis, ita nec Baptismus vel Pœnitentia.

Atque ut aliter includeretur votum Sacramenti, ita quòd concurreret contritio ad justificationem (ut alij docent) tamquam vicaria Baptismi & Pœnitentiæ: quod Princeps facit per suum legatum aut Vicarium, non poterit facere per se ipsum? Si ergo Baptismus justificat impium per contritionem, tanquam sui vicariam: quis adeò desipiat, ut neget istum effectum Sacramento realiter suscepto? Sanè contradicere videtur verbis Christi Joannis 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quid dicam de Sacramento Pœnitentiæ? Quorum remisit peccata (inquit Veritas æterna Joannis 20. v. 23.) remittuntur eis &c.

Joan. 3.

Item 20.

17. Ad mentem Concl. liij Trident. 21.

Quæ probè intelligens Concil. Trident. sess. 6. cap. 4. post descriptionem justificationis impij, Vt sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur sicut primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundam Adam

Iesum Christum salvatorem nostrum; a statum subjungit: Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest. Sine lavacro (inquam) regenerationis aut eius voto. Ecquod illud votum? Contritio. Ergo sufficit Baptismus in re sine contritione. Alioquin quomodò verè idem Concilium cap. 7. vocat Baptismum causam instrumentalem justificationis, si necessariò eam supponat?

Præterea in præmio sess. 7. habet hæc verba: Per quæ (scilicet Sacramenta) omnis vera iustitia vel incipit, vel cepta augetur, vel amissa reparatur. Iustitia (inquam) incipit & amissa reparatur per nulla certè apud, quam per Sacramenta mortuorum, sic dicta, qui ab existentibus in statu peccati suscipi possunt. Accedit Concilium Florentinum, quod in litteris Unionis ait: Effectus Baptismi est remissio omnis culpe originalis & actualis: Effectus Sacramenti Pœnitentiæ absolutio à peccatis, five (ut loquitur Trident. sess. 14. cap. 3.) reconciliatio cum Deo.

Florent.

His alijsque maturè expensis, existimo salvâ fide hodie asseri non posse, contritionem charitate perfectam in his Sacramentis esse dispositionem necessariam, præsertim necessitate medij, id est, ita necessariam, ut sine illa realiter habita nequeat accipi effectus gratiæ.

18. Contritio in Sacramentis mortuorum non est necessitate medij.

Quod neque necessitate præcepti insuper, probatur: quia illud præceptum vel esset positivum; tale verò nullum reperitur sive in Scriptura, sive in Ecclesiastica traditione; vel esset naturale seu connaturale Sacramento, quia scilicet Sacramenta sanctè & reverenter tractanda sunt (propter quod peccat, ut infra videbimus, qui suscipit ali-quod Sacramentum vivorum sciens se esse extra statum gratiæ) & illud ubi legitur? An fortè in cordibus hominum? Non arbitror; quippe sufficit Sacramenta tractari sanctè juxta suum modum seu institutionem. Sacramenta porro mortuorum primariò & per se sunt instituta ad deletionem peccati, seu ad primam gratiam conferendam: vivorum autem ad ejus dumtaxat augmentum, ut statim amplius dicitur.

Neque necessitate præcepti.

Quapropter si à me quaeritur ratio, cur magis peccet communicans in malo statu, quam confitens & recipiens absolutionem? Respondeo confestim: non major dignitas Eucharistiæ, sed diversus modus institutionis; siquidem cum Pœnitentia directè instituta sit ad remissionem peccati seu colationem primæ gratiæ, quis me justè arguet de peccato, si ad istum finem Sacramentum suscipio? Et quomodò possum, nisi

19. Cur magis peccet communicans in malo statu, quam recipiens absolutionem.

nisi mihi persuadeam me solam esse attritum sive imperfecte contritum? Si enim putem me esse contritum, jam scio me habere primam gratiam, adeoque non acquiritur per hoc Sacramentum. Noli ergo timere ubi non est timor, sed fidenter accede ad thronum gratiae in Sacramento Baptismatis, & Reconciliationis peccatoribus praeparatum; adfer contritionem imperfectam, & non dubito quin justificatus descendes in domum tuam.

20. Conclusio nem ante Florentinum & Tridentinum tenuit Scoto.

Sic olim ante Florentinum & Tridentinum censuit Doctor Subtilis 4. dist. 4. q. 5. n. 2. ibi: Dico tunc, quia nolentem Deus non iustificat, secundum illud Aug. Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te; iste, qui habet actualiter obicem contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod peccatum, mortale, quod tunc actu voluntatis committit, vel quod prius commisit, & nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam &c. Ergo qui sibi aliquo modo displicet, attrahitur vel conteritur (ut immediate ante dixerat) recipit gratiam.

Scoto.

Quae autem Baptismatis, eadem est ratio Pœnitentiæ, ut expressis verbis docet 4. dist. 14. q. 4. n. 6. ibi: Dicitur ergo, quod ita Deus requirit dispositionem de congruo (scilicet contritionem perfectam) ad hoc ut peccatori conferat gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ: & hoc non, quod alliget potentiam suam Sacramentis, quin tamen sine dispositione illa pravia & congrua, qua sufficeret, conferat per Sacramentum gratiam, & hac est maioris misericordiae, scilicet duplicem viam insinuare, per quam iustificetur peccator, quam ipsum ad unam viam arctare. Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici via, vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Baptismi; ita & in proposito.

21. Contraria opinio videtur esse Magistri & paucorum aliorum, Gabrielis.

Ad quorum fundamentum respodetur.

22.

Aversio à sine ultimo potest intelligi vel formaliter, vel virtualiter, ex Scoto.

Pro quo adverto ex Scoto 2. dist. 37. q. 1. n. 8. quod aversio à sine ultimo potest intelligi dupliciter, vel formaliter, vel virtualiter: formaliter contrarie vel negative, sic, quod voluntas nolit illum finem, & tale nolle est odire: vel non velit cum deberet velle, & tale

non velle est omittere illud praeceptum: Diliges Dominum Deum tuum. Virtualiter sic, quod quando aliquid est necessarium ad consequendum finem ultimum, voluntas aversa ab illo, in hoc virtualiter à sine avertitur; sicut intellectus negans conclusionem, virtualiter avertitur à principio; & sic infirmus dicitur averti à sanitate, quando avertit se à potu amaro, sine quo non potest haberi sanitas.

Prima aversio secundum se est eiusdem rationis, nec includitur formaliter in quolibet peccato: est enim odium Dei speciale peccatum; & omisso istius praecepti: Diliges Dominum &c. est aliud speciale peccatum. Secundo modo aversio est communis omni peccato mortali, quia in omni tali peccato mortali voluntas inordinate se habet respectu alicuius necessarii ad finem. Subsumo: atqui per attritionem statim descriptam, voluntas antea à Deo per peccatum aversa ordinate se habet respectu omnium necessariorum ad consequendum ultimum finem; ergo talis Attritio proxime disponit peccatorem ad remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam. Consequentia est evidens. Probatur subsumptum ex verbis Christi Matth. 19. v. 17. Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

Matth. 19. 17.

Si dixeris: Maximum & primum mandatum est: Diliges Dominum Deum tuum. Fateor, sed quoniam affirmativum, non obligat pro semper. Unde autem constat obligatio ante susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, si pœnitens aliquando dilexerit Deum ex toto corde suo, & in tota anima sua, & in tota mente sua? Sin verò nunquam antea dilexerit, diligit nunc; alioquin non habebit veram Attritionem; quae sufficiat cum Sacramento ad justificationem, id est, animi dolorem de peccato commisso cum proposito de cetero non peccandi: etenim actualiter peccat.

23. Mandatum Diliges Deum, non obligat pro semper.

Herculè Contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, proxime disponere in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, nescio quomodo aliquis Theologus possit ignorare. Ait siquidem Trident. sess. 14. cap. 4. Contritio, quae primum locum inter dictos pœnitentiæ actus (quos cap. 3. vocat quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ) habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Præterea docet eodem capite: Etsi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemq; Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur; ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni

24. Attritione, quae voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, proxime in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum disponere, nequit negari, propter Tridentinum.

P

fine

sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.

Quid illustrius dici poterat? *Esti* (inquit Concilium) aliquando contingat. Ergo etiam aliquando contingit illam Contritionem non esse charitate perfectam. Ergo datur Contritio, quæ sit vera pars Sacramenti, haud equidem charitate perfecta, adeoque non justificativa ante Sacramentum. Quæ ista, nisi contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, de qua ibidem Concilium subjungit: *Et quavis sine Sacramento Penitentia per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Penitentia impetrandam disponit?* Igitur ex mente Tridentini Sacramentum Penitentia cum imperfecta Contritione justificat. Quæ autem reconciliationis, eadem Baptismatis est causa, Sed de his uberius in Tract. de Penitentia; ubi etiam de altero fundamento Adversariorum desumpto ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. ubi inter dispositiones ad justificationem enumerat actum dilectionis, dicens: *Illumq; (Christum) tanquam omnis iustitia fontem diligere incipiunt.* Quod etsi totum concederemus, sicut aliqui concedunt, non propterea cogimur asserere (sicut nec recentiores Auctores, qui hoc docent, asserunt) actum illum dilectionis semper justificare ante realem susceptionem Sacramenti, quod tamen intendunt aliqui Doctores, contra quos hîc agimus.

Non obstat Tridentinum enumerans inter dispositiones ad justificationem, actum dilectionis.

25.
Corduba.

Non obstat etiam, quod Patres & Concilia doceant contritionem esse partem Sacramenti penitentia.

Corduba lib. 1. quaestionum Theologicarum q. 2. ad 3. videtur dicere, contritionem esse necessariam dispositionem non necessitate medij, sed præcepti; sed nescio quâ ratione, nisi fortè, quia Patres & Concilia docent contritionem esse partem Sacramenti Penitentia; quæ certè ratio ex jam dictis liquidò constat nullius esse momenti. Quis enim ambigit brutum simpliciter posse vocari animal, etsi sit species imperfectior? Consentio quòd contritio ex natura rei sit optima dispositio ad remissionem peccati, & ex iustitia debita Deo, ut homo, qui non potest ad æqualitatem Deo satisfacere pro injuria illata, saltem faciat quod in se est, quodque aversioni peccati maximè videtur repugnare: equidem Christus novum peccati remedium (& certè non amanti nimis difficile) instituendo, rigorem iustitiæ temperavit, & contritionis remedium lenivit, non utilitatem ejus, sed necessitatem moderando.

Dico, *moderando*; siquidem reliquit contritionem necessariam dispositionem, saltem necessitate præcepti, in Sacramentis vivorum, pro quibus erit

CONCLUSIO IV.

Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium primariò sunt instituta ad augmentum gratiæ, adeoque præsupponunt statum gratiæ in recipiente.

Est certa: propterea enim vocantur Sacramenta vivorum, quia spiritualem animæ vitam supponunt. Patet etiam inductione: nam (ut habetur ex Florentino in litteris Unionis) *Per Baptismum spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratia & roboramur in fide; renati autem & roborati, nutrimur divinâ Eucharistia alimentâ. Quòd si per peccatum aegritudinem incurrimus animæ, per Penitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per extremam Unctionem. Per Ordinem verò Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur.*

Igitur Confirmatio instituta est ad spirituale robur augendum, Eucharistia ad spirituale nutrimentum, extrema Unctio ad reliquias peccatorum abolendas & confortandum ægrotum in ultimo illo & periculoso agone; hæc autem manifestè supponunt vitam in suscipiente. Ordo verò, ut detur potestas divina officia legitime obeundi & cætera Sacramenta conferendi: Matrimonium ad legitimam proles inter Christi membra susceptionem. Quæ duo non quidem tam aperte, quàm alia tria supponunt gratiam in suscipiente; tamen, cum Sacramenta, ad quorum administrationem Ordo est institutus, eam præquirant, multò magis ipse Ordo. Matrimonium quoque cum non sit institutum ad conferendam primam gratiam, & sit Sacramentum, irreverenter tractatur, si accipiatur scienter in statu peccati mortalis & fraude tur suo effectu: quæ irreverentia gravis est & mortalis (ut omnes sentiunt) contra præceptum connaturale gratiæ (Sacramenta sanctè tractandi) expressum ab Apostolo 1. Corinthiorum 11. versu 29. *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dyndicans corpus Domini.* Plura sectione ultimâ hujus disputationis, ubi de obligatione suscipientis.

26.
Conclusio probatur inductione ex Florentino.

1. Cor. 11.

Parva

27.
Difficultas
et verbis
Florentini
mota, sol-
vitur.

Parva hic oritur difficultas ex verbis Florentini citatis, in quibus eadem phrasi exprimitur effectus Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis. Ex quo alicui videri posset, etiam Extremam Unctionem institutam esse ad significandam & conferendam primam gratiam, sicuti diximus conclusione præcedenti Pœnitentiam fuisse institutam. Quod etiam videtur colligi ex illis verbis Apostoli Jacobi cap. 5. v. 15. *Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.*

Trident.

Respondeo breviter ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 2. ubi agens de effectu Extremæ Unctionis sic inquit: *Res porro & effectus huius Sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei: res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti; cuius unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit &c.* Quæ verba ita interpretatur Catechismus Romanus parte 2. cap. 6. n. 14. *Docerunt igitur pastores hoc Sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis leviora quidem, & ut communi nomine appellantur venialia, remittit: exitiales enim culpa Pœnitentiæ Sacramento tolluntur; neque enim hoc Sacramentum primario loco ad graviorum criminum remissionem institutum est, sed Baptismus tantum & Pœnitentiæ vi sua id efficiunt. Sanatur itaque etiam spiritualiter per Extremam Unctionem, sed primario à venialibus tantum; per Pœnitentiæ autem à mortalibus. Plura in propria disputatione de Extrema Unctione, ubi de ejus effectu.*

Catechismus
Romanus.

Extrema
Unctio pri-
marie à
venialibus
tantum san-
nat.

Status præ-
cipuus con-
troversie.

Transco ad præcipuam controversiam. Enimvero cum apud omnes constet Baptisimum & Pœnitentiæ non solum conferre primam gratiam, sed etiam ejus augmentum subiecto antea per contritionem justificato; dubium tamen est, an similiter Sacramenta vivorum causent primam gratiam in subiecto disposito, in quo eam non reperiunt: hoc est, an ad effectum v. g. Eucharistiæ sit necessaria contritio necessitate mediæ, sive utrum peccator bonâ fide existimans se contritum, cum solum sit attritus, non solum non peccet accipiendo Eucharistiam (eadem est ratio de alijs Sacramentis vivorum) sed etiam recipiat effectum gratiæ remissivæ peccatorum?

28.
Auctores
pro parte
affirmativa
D. Thomas.

Pro parte affirmativa, quæ magis pia est, refertur D. Thomas 3. parte quæst. 79. art. 3. in fine corporis, & in 4. dist. 9. quæst. 1. artic. 3. quæstiunculâ 2. & alij plures gravissimi Theologi, quos citat & sequitur Suarez disp. 63. sect. 1. conclus. 3.

Suarez.

Regius, Bonacina ac alij recentiores apud Dianam 5. parte tract. 13. resol. 31. & putatur esse sententia Doctoris Subtilis 4. dist. 9. quæst. unicâ num. 2. in fine, ibi: *Propter hoc dico, quod diligenti inquisitione factâ secundum possibilitatem nostræ fragilitatis, & præmissâ contritione & confessione, quantum videtur homini sufficere, si tunc communicet, non peccat: imò si quæ alia peccata lateant, per istud Sacramentum etiam remittuntur.*

Regius,
Bonacina,
Diana.

Scottus.

Partem negativam docent D. Bonaventura 4. dist. 9. art. 2. q. 3. Gabriël & plures alij antiqui Theologi, quos citat & sequitur Vasq. disp. 205. cap. 4. & 5. & ex recentioribus Card. Lugo de Euch. disp. 12. sect. 1. n. 3. & sequentibus, & Joannes de Dicastillo ibidem disp. 8. dub. 7. n. 102. vocans eam probabiliorum. Certum etenim est utramque sententiam non carere suâ probabilitate, maxime ab auctoritate extrinseca; siquidem ratio intrinseca non datur præter voluntatem divinam, à qua liberrime pendet omnis effectus Sacramenti.

Auctores
pro parte
negativa,
S. Bonaven-
tura,
Gabriël,
Vasquez,
Lugo,
Dicastillo.

Utraque est
probabilis.

Potuit igitur Deus ita instituisse Sacramenta vivorum, ut solum conferent augmentum gratiæ, nemo negat. Potuit etiam velle, ut secundario causarent primam gratiam; omnes affirmant; quid factum sit, sub iudice lis est. Quis alius iudex, quam Ecclesia animata regula orthodoxæ fidei? Et hæc usque in hodiernum diem controversiam hanc reliquit indecisam: quin imò in nullo (quod sciam) Concilio particulari aut generali vel verbo unico illam attingit, solummodo definiens Sacramenta omnia conferre gratiam non ponentibus obicem. Trident. sess. 7. can. 6. *Si quis dixerit Sacramenta nove Legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, &c. anathema sit.* Quis autem sit obex Sacramenti, an solum peccatum actuale, an verò etiam habituale non retractatum per contritionem supernaturalem, nec hic, nec alibi satis declarat. Solum lego sess. 13. cap. 7. *Si non decet ad sacras ulla functiones quempiam accedere nisi sancte; certe quod magis sanctitas & divinitas celestis huius Sacramenti Eucharistiæ viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit, non disjucans corpus Domini. Quæ communicare volenti revocandum est in memoriam eius præceptum: Probet se ipsum homo. Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quan-*

29.

Et indecisa
relictis ab
Ecclesia.

Etiam in
Tridentino.

unius sibi contritus videatur, absque præmissâ sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.

30. Ex quibus verbis colligo Primò, eum, qui non est conficius sibi peccati mortalis, etiam sine contritione posse accedere. Secundò, reverenter & sanctè accedere omnes, qui sibi conficij peccati mortalis, modò deficit copia confessoris, ut eodem capite loquitur Concilium, qui (inquam) sibi contriti videntur, quamvis forsitan à parte rei solùm sint attriti. An autem taliter affecti recipiant fructum Sacramenti, nec affirmat, nec negat.

Quidem capite sequenti dicit illos sacramentaliter simul & spiritualiter sumere hoc Sacramentum, qui ita se prius probant & instrunt, ut vestem nuptialem induiti ad divinam hanc mensam accedant. Verumtamen quæ sit illa vestis nuptialis, an contritio sive status gratiæ in re, an verò prudenter existimatus sufficiat, non satis explicat. Certum est alludere ad parabolam Christi Matth. 22. v. 11. Intrauit autem rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intraisti non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit. Igitur malâ fide intraverat; alioquin cur non respondisset: Domine mi rex, prudenter iudicavi me habere vestem nuptialem, aliàs non intraissem? Sed obmutuit. Tunc dixit rex ministris: ligatis manibus & pedibus eius &c.

31. *Trident.* Clariùs expressit Trident. necessitatem status gratiæ eadem sess. cap. 2. ibi: Sumi autem volunt Sacramentum hoc tamquam spirituales animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me. Similiter loquitur Florent. in decreto Unionis: Huius Sacramenti Eucharistiæ effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adiutio hominis ad Christum. Et quia per gratiam homo Christo incorporatur & membrum eius unicitur, sequitur quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augetur: omnemq; effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam spirituales & hoc Sacramentum operatur.

Porro hanc necessitatem esse mediij, neque hoc, neque illud Concilium ullibi determinat, sed relinquit disputationi Doctorum. Quapropter, cum pro utraque sententia sint auctoritates non contemnendæ, difficile est discernere, quæ ex illis probabilior debeat censei. Profectò neutra limites probabilitatis excedit. Quia tamen in commendatione divinæ misericordiæ malumus excedere, quàm deficere; hinc assero & dico:

CONCLUSIO V.

Omnia Sacramenta vivorum secundariò causant primam gratiam in subiecto disposito per veram attritionem supernaturalem.

Potissimum fundamentum est auctoritas Doctorum, quæ maximè nititur Concilio Tridentino, quod generaliter docet sess. 7. can. 6. Sacramenta novæ Legis conferre gratiam non ponentibus obicem, & canone 8. dari gratiam per huiusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantum est ex parte Dei, si ritè ea suscipiant. Porro ritè videtur suscipere Sacramenta vivorum, qui omnibus consideratis prudenter iudicat se esse in statu gratiæ, vel quia nullus peccati mortalis sibi conficius, vel certè quia (quantum in se est) elicit actum contritionis.

Sed hoc est, quod queritur, & constanter negant Auctores contrariæ sententiæ, dicentes, quòd sicut non est eadem significatio omnium Sacramentorum, sic etiam non sit omnium idem obex, neque eadem dispositio necessaria ad ritè, id est, fructuosè, omnia suscipienda. Sacramenta quippe non causant gratiam, nisi quam significant. Cum ergo Sacramenta vivorum (exceptâ fortè Unctione Extremâ) non significant nisi augmentum gratiæ, sive gratiam secundam; nullo casu, quantumvis homo inculpabiliter ea suscipiat, conferent primam, propter obicem peccati habitualis & carentiam dispositionis necessariæ necessitate mediij, scilicet veri & realis status gratiæ.

33. *Sacramenta vivorum sunt primario instituta ad significandum augmentum gratiæ; quemadmodum Baptismus & Poenitentia ad conferendam primam gratiam; secundariò tamen etiam significant primam gratiam, quemadmodum Sacramenta mortuorum secundam.* Ex quo etiam oritur necessitas, non quidem mediij, sed præcepti, diversæ dispositionis: siquidem ad Sacramentum mortuum sufficit attritio ut talis cogita; ad vivum autem requiritur contritio, saltem bonâ fide talis existimata.

34. *Lugo.* Sed contra (inquit Cardinalis Lugo de Sacramento Eucharistiæ disp. 12. sect. 1. n. 10.)

32. *Probat ex auctoritate Decretum Concilii Trident.*

33. *Sacramenta vivorum sunt primario instituta ad significandum augmentum gratiæ.*

34. *Secundariò tamen primam gratiam significant.*

n. 10.) exemplum quod adfertur de Pœnitentia & Baptismo, non est ad rem: nam ille effectus non est per accidens, sed per se à Pœnitentia vel Baptismo. Etenim hæc Sacramenta instituta sunt per se non solum ad primam gratiam, sed etiam ad alios effectus; Baptismus scilicet ad dandam gratiam, ex vi cuius debeantur auxilia homini baptizato ad servanda præcepta & ad operandum, ut membrum Christi; quare quando invenit subiectum gratum, debet dare aliquem gradum gratiæ, per quem fiat ille homo membrum Christi, ratione cuius incorporationis exigat talia auxilia &c. quod quidem habet non per accidens, sed per se ex propria institutione.

Item, Sacramentum Pœnitentiæ non solum habet per se refuscitare mortuum, sed etiam reconciliare hominem cum Deo, & dare auxilia, quibus magis caveat à lapsu; quare licet inveniat subiectum gratum, habet per se augere gratiam, ut magis reconciliet hominem cum Deo, & ut det aliquem gradum gratiæ, ratione cuius homo exigat talia auxilia &c. At verò Eucharistia, v. g. per se solum habet dare augmentum gratiæ.

Respondeo hic peti principium; quod enim controversitur est, an Eucharistia per se secundariò aliquando conferat primam gratiam, sicut Baptismus per se secundariò causat quandoque secundam. Et sanè omnia Sacramenta (ut dictum est sect. præcedenti conclus. 4.) conferunt specialia auxilia gratiæ. Si ergo propter hæc Baptismus v. g. causat secundam gratiam, quando invenit primam; etiam Eucharistia & alia Sacramenta vivorum propter eadem per se, quamvis secundariò, conferent primam, quando eam non reperiunt, nè talis homo perpetuò careat huiusmodi auxilijs, maxime necessarijs, v. g. in Matrimonio ad ejus gravissima onera sustinenda, in Confirmatione ad fidem fortiter profitendam &c.

Instat Card. Lugo supra n. 11. Sacramentum Pœnitentiæ in homine iusto non invenit obicem, qui est peccatum mortale non retractatum: Eucharistia verò invenit obicem, id est, peccatum habituale, seu statum peccati; nullum autem Sacramentum aufert suum obicem.

Sed rursus petitur principium; negamus quippe peccatum habituale per attritionem supernaturalem retractatum esse obicem gratiæ Eucharistiæ; vel dicam Pœnitentiam non conferre gratiam, quia totam reperit, ad quam causandam est instituta; sicuti Christus per Eucharistiam, quam sumpsit in ultima cœna, non accepit aug-

mentum gratiæ, non propriè defectu dispositionis; vel propter obicem (ut patet) sed quia totus effectus gratiæ, quem dare potuit Eucharistia, antecederet inveniebatur in Christo.

Urget eodem numero: Licet ex virtute ad causandam primam gratiam arguatur bene virtus ad causandum augmentum gratiæ; non tamen è converso: multò enim major virtus requiritur ad causandum primam gratiam & tollendum peccatum, quam ad causandum augmentum gratiæ. Hinc est enim, quòd licet homo iustus possit mereri de condigno augmentum gratiæ, non tamen potest alteri de condigno mereri primam gratiam, nec posset etiam sibi mereri de condigno remissionem peccati, etiamsi supponeretur per possibile vel impossibile habere gratiam habituales; quia nimirum multò plus est remittere peccatum & dare gratiam, quam augere gratiam post peccatum remissum.

Respondeo; causalitatem Sacramentorum seu virtutem causandi esse moralem, non physicam (ut ostendimus sectione præcedenti conclus. 2.) quod etiam ipse docet de Sacramentis in genere disp. 4. sect. 4. n. 35. quæ non est major in uno Sacramento, quam in alio; supposità æquali institutione divinâ; siquidem in sententiâ illius Auctoris supra disp. 1. sect. 3. n. 35. Sacramentum habere vim significandi, non est aliud, quam fuisse institutum ad hoc, & illam voluntatem non fuisse revocatam. Quis autem non videat, æquè facile potuisse Deum instituire Sacramentum Eucharistiæ ad significandam & secundariò causandam primam gratiam, atque voluit ut Sacramentum Pœnitentiæ secundariò causaret secundam gratiam? & pari facilitate si voluisset, Pœnitentiam instituisset cum sola virtute causandi primam gratiam, sicut hic Auctor præterit Eucharistiam esse institutam cum sola virtute conferendi gratiam secundam. Igitur decisio controversiæ tota pendet à voluntate divinâ, non autem à majori vel minori virtute intrinseca huius vel illius Sacramenti, quæ nulla est.

Non diffiteor majora nos habere fundamenta unius institutionis, quam alterius; quippe theologicè certum est, omnibus Doctores in eo conspirantibus, Sacramenta mortuorum per se, licet secundariò, causare augmentum gratiæ; tota autem hæc controversia (ut supra dixi) non excedit terminos opinionis probabilis; ideoque ut talem dumtaxat proponimus nostram conclusionem, veluti magis congruam pietati & misericordiæ divinæ; quæ superexal-

37.
Objectio

38.
Responsio

Lugo

Potuit Deus instituire Eucharistiam ad causandam primam gratiam, sicut instituit Pœnitentiam ad causandam secundam.

39.
Est majus sit fundamentum unius institutionis, quam alterius.

35.
Sicut Baptismus per se secundariò causat gratiam secundam, sic & per se Sacramenta vivorum causant primam.

36.
Instat Lugo.

Peccatum habituale per attritionem supernaturalem retractatum non est obicem gratiæ Eucharistiæ.

perexaltat iudicium; quam proinde non necessariâ, sed probabili solum consequentiâ deducimus ex institutione Baptismi & Pœnitentiæ. Enimverò si Pœnitentiæ, quæ inter cætera Sacramenta dignitate infima est (ut dixi sect. præcedenti conclus. 3.) tantam virtutem & efficaciam tribuimus, cur negabimus illam Sacramento dignissimo Eucharistiæ, & alijs dignioribus?

40.

Ad illationem Card. supra: Hinc enim est &c. Respondeo aliunde fati constare, neminem sibi mereri de condigno primam gratiam, non quia plus sit remittere peccatum, quàm augere gratiam post peccatum commissum; sed quia ex ordinatione divina (quæ ostenditur in materia de Merito) meritum condignum respicit necessariò personam merentem antecedenter constitutam in statu gratiæ & adoptionis filiorum Dei. Hoc de facto; de possibili verò sic loquitur Doctor Subtilis 3. dist. 20. quæst. unicâ n. 9.

Meritum condignum respicit necessariò personam merentem constitutam antecedenter in statu gratiæ; non sic Sacramenta vivorum.

Scotus.

Præterea unus purus homo potuisset satisfacere pro omnibus, si fuisset conceptus sine peccato, sicut potuisset fieri de possibili, operatione Spiritus Sancti & matris, sicut fuit Christus, & Deus dedisset sibi summam gratiam, quam potuisset recipere, sicut dedit Christo sine meritis præcedentibus ex liberalitate sua: talis enim potuisset mereri deletionem peccati, sicut & beatitudinem. Et infra: Præterea videtur (de possibili dico) quod quilibet potest satisfacere pro se, quia si data fuisset cuilibet homini prima gratia sine meritis; sicut modo, licet quilibet sit filius iræ, cuilibet tamen dat primam gratiam sine meritis proprijs: & tunc meretur beatitudinem: igitur potuit etiam meruisse deletionem culpe. Ita Scotus; de quo plura in Tract. de Pœnitentia.

41.

Major dignitas Eucharistiæ causa est particularis præcepti sacramentalis confessionis.

Trident.

Si quæras cum Lugone disp. 12. de Euch. n. 17. Ut quid ergo tam enixè exigit Paulus, quòd probet se ipsum homo, utique per confessionem sacramentalem? Respondeo verbis Trident. sess. 13. cap. 7. Certè quò magis sanctitas & divinitas celestis huius Sacramenti vivo Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, nè absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat. Major ergo dignitas hujus Sacramenti præ cæteris causa est particularis præcepti sacramentalis confessionis, ne fortè contingat ipsum defectu perfectæ contritionis frustrari suo effectu, ad quem ex primaria intentione à Christo fuit institutum.

S. Anselmus.

Neque aliter intellexit verba Apostoli D. Anselmus super eum locum dicens: Raro enim invenitur aliquis ita magnus & iustus, ut in eo per discussionem sui non inveniat

aliquid, quod debeat eum à corpore & sanguine Domini retardare, nisi confessus fuerit illud, & per penitentiam deleatur. Colligo: quia loquitur de peccatis venialibus; nam mortalia non inveniuntur in homine iusto, & tamen apud omnes constat confessionem venialium non esse necessariam ad percipiendum fructum Eucharistiæ.

Alij Patres (quos ibidem citat Auctor præfatus n. 18. pro sua sententia) similiter explicari possunt de obligatione præcepti, & dispositione requisita ad primarium effectum Sacramenti. D. Ambros. lib. 6. in Lucam cap. 9. sic inquit: Nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus. Et illi, qui vocantur ad cœnam, prius vocando sanantur. Et infra: Vbi que ergo mysterij ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, post alimonia mensæ celestis exuberet. Puta, quia conscius sibi peccati mortalis, quantumvis etiam sibi contritus videatur, jure divino aut saltem Ecclesiastico prohibetur accedere ad sacram Eucharistiam absque præmissa sacramentali confessione. Quod optimè sciens D. Gregorius lib. 2. in 1. Reg. c. 1. circa illa verba: Repleti prius pro panibus se locaverunt. Salutem (inquit) non percipiunt in confessione salutaris hostiæ, qui ea, quibus se repleverant, flagitia portant in mente. Quis autem dicat portare peccatum in mente, qui bonâ fide existimat per contritionem vel confessionem id ipsum esse deletum?

42.

Explicatur Patres à Lugone objecti.

S. Ambrosius.

S. Gregorius.

43.

Respondet Card. supra: Reverà peccatum habituale adhuc manet; affectus verò ad peccatum non solum per attritionem supernaturalem, sed etiam per naturalem vel per totalem oblivionem poterat tolli.

Poterat planè: sed quid inde? Ergo dispositio naturalis sufficit etiam ad effectum Sacramenti: negant omnes consequentiam; nè cogantur asserere, hominem naturæ viribus posse justificari & salvari, qui est error in pluribus Concilijs damnatus contra Pelagianos & Semipelagianos.

Licet super naturalis attritio sufficit ad effectum Sacramenti, non tamen naturalis.

Verba quoque Clementis Papæ lib. 7. constit. cap. 27. eamdem patiuntur interpretationem: Si quis (inquit) sanctus est, accedat; si non est, curet ut fiat per misericordiam Dei. Quippe præcipitur peccatori contritio & confessio; cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus 1. Cor. 11. v. 29. Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non agnoscens corpus Domini. Quâ sententiâ non comprehenduntur nisi memores suorum peccatorum.

Clem. Papæ.

1. Cor. 11.

Majorem difficultatem pariunt verba, quæ habentur in Catechismo Pij V. parte 2. cap. 1. v.

44. Difficultas ex Catechismo Pij V. cap.

cap. 4. n. 40. Quod dicitur, Eucharistiā gratiam tribui, pastores admoveant oportet, ita intelligendum non esse, perinde ac necesse non sit, ut, qui re ipsa hoc sacramentum utiliter percipitur est, gratiam antea adeptus fuerit. Constat enim, quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest; ita etiam anime, quæ spiritu non vivit, sacra mysteria non prodesse; ac propterea panis & vini speciem habent, ut significetur, non quidem revocanda ad vitam animæ, sed in vita conservanda causā, insinuatā esse. Adde quod ait Florentinum in decreto Unionis de effectu hujus Sacramenti: *Omneque effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, hoc idem quoad vitam spirituales & hoc sacramentum operatur.* Certum autem est, materialem cibum & potum numquam dare primam vitam corporalem.

Verumenimvero hæc ita clara non sunt, quin commodè prior responsio ipsis possit applicari. Dico ergo Catechismum Romanum nihil aliud velle, quàm primam vitam non esse primarium effectum Eucharistiæ, adeoque hominem obligari ad se constituendum in statu gratiæ, quantum in ipso est.

Colligo Primò, quia vult ut pastores moneant populum; nil autem refert populum monere de illa controversia speculativa, sed dumtaxat de practica diligenti præparatione. Secundò, quia inquit: *Primā gratiā omnes præditos esse oportet, antequam s. Eucharistiā ore contingere audeant, ne iudicium sibi manducant & bibant.* Igitur loquitur de culpabili accessu in statu peccati; qui enim inculpabiliter sic accedit (ut mox dixi & omnes admittunt) non sumit sibi iudicium.

Porro ad similitudinem Florentini accipio responsum ex communi axiomate: Similitudo non currit quatuor pedibus. Assimilatur equidem Eucharistiā nutrimento corporali in primario suo effectu, qui est augere gratiam sive nutrire vitam spirituales; quod satis est ad veritatem Concilij Florentini; quippe (ut bene notandum est) verba citata non aliud significant, quàm cibum spirituales conferre omnem effectum vitæ spirituali, quando illam invenit, quem cibus corporalis tribuit vitæ corporali; quod verissimum est, & à nemine negatur. At aliud est dicere: operatur omnem effectum, & operatur solum illum effectum. Et hoc postremum neque Concilium, neque Catechismus asserit, nisi secundum explicationem datam. Et in hoc claudicat similitudo.

Do rationem; quia nutrimentum corporale ex se mortuum est, neque confert

ad vitam; nisi quatenus per actionem viventis convertitur in ejus substantiam: alimentum verò spirituale virtute sua propria convertit in se manducantem, & non è converso; juxta illud D. Augusti 7. Confess. 10. *Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me. Nec tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tua, sed tu mutaberis in me.*

Respondet Card. Lugo supra n. 22. in sumptione Eucharistiæ reperiri duplicem conversionem spirituales: alteram quæ homo convertitur in Christum quoad operationes, eo quod fiat quasi membrum Christi, & incipiat jam operari ijs operationibus, quæ decet membrum Christi, juxta illud Apostoli ad Galatas 2. v. 20. *Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Christus;* alteram verò, quæ homo convertit Eucharistiā in se quoad fructus, eo quod sicut ex naturali alimento accipit vires ad conservandam & augendam vitam naturalem; sic etiam ab hoc Sacramento accipit novas vires ad operandum, & novum augmentum sanctitatis, quæ est vita spiritualis; quare ex parte ipsius etiam hominis prærequiritur vita ad utiliter comedendum hunc cibum.

Contra: si duplex est conversio, quid obstat quò minus una ponatur absque altera? Cur non possit Christus hominem convertere in se conferendo per Eucharistiā primam gratiam, per quam ipsi incorporaretur & membris ejus uniat, absque eo quod homo defectu præexistentis gratiæ convertat Christum in se? Profectò sola voluntas Dei ratio est, quare sic fiat vel non fiat.

Atque hinc urgentissima improbatio nostra, & probatio oppositæ sententiæ est, quam reperio apud Vasq. supra cap. 5. n. 24. his verbis: *Sacramentis nullum effectum ex opere operato adscribere possumus, nisi aut definitione Ecclesiæ expressum, aut traditione Patrum acceptum, aut Scripturâ traditum sit, aut saltem ex illorum propria natura & institutione efficaciter deducatur: nihil autem horum habemus; ut effectum primæ gratiæ secundario tribuamus Sacramentis vivorum; ergo &c.* Major ab omnibus admittitur: consequentia est evidens: Minorem probat Vasq. ibidem n. 25. & sequentibus. Et quidem (inquit) definitio Ecclesiæ aut Scripturæ nulla est, ex qua id colligi possit, ut omnes fatentur. Certè non fatentur illi, qui doctrinam suam principaliter colligunt ex Concilio Tridentino locis supra citatis; quibus adde can. 5. sess. 13. *Si quis dixerit vel præcipuum fructum Sanctissimæ Eucharistiæ esse*

S. Augusti

46. Duplici cōversione spirituali positā in Eucharistiā

Lugo

Galat. 24

Nil obstat quin una possit reperiri sine altera.

47.

Respondetur ad fundamentum Vasquez in oppositum.

Trident.

esse

Et Concilio Florentino.

Solvitur quia solum volunt primam vitam non esse effectum primarium Eucharistiæ.

45.

esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.

Lugo.

Scio Card. Lugo supra n. 20. respondere, Tridentinum supponere Eucharistiam tollere venialia: hoc enim expressè docet cap.

2. ejusdem sessionis, ibi: *Et tamquam an- siduorum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur.* Sed quid prohibet etiam intelligere peccata mortalia? Quippe hæretici Lutherus, Calvinus & alij, quos Concilium ibi damnat, asserant, præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem mortalium, ut ostendit Bellarminus lib. 4. de hoc Sacramento cap. 17. Igitur Concilium definiens remissionem mortalium non esse præcipuum & solum fructum, præbet Theologis probabile fundamentum asserendi remissionem illam saltem esse fructum secundarium.

Responde-
tur ad Tri-
dentinum.

Bellarm.

q. 8.

Quod attinet SS. Patres, qui docent Eucharistiam esse remissivam peccatorum, hoc Sacramento lavari, mundari animam, extingui peccata, tolli spurcitiâ, ægrotos curari, abluï scelera, & alia hujusmodi; Respondet Card. Lugo supra n. 19. illos intelligi posse vel de Eucharistia, ut Sacrificium est; sic enim habet vim impetrandi (fallibilem tamen) primam gratiam, id est auxilia congrua pro ijs, qui sunt in peccato: vel de Eucharistia respectu venialium; vel de remissione & ablatione peccati quoad reliquias pravorum affectuum, qui remanserant; vel denique quod Eucharistia expellit morbos & mortem, præveniendò scilicet & adferendò auxilia & vires, quibus resistamus tentationibus.

Lugo.

Licet au-
thoritates
pro conclu-
sione alle-
gare varias
recipiant
interpreta-
tiones, pro-
babiliter ta-
men cum
D. Thoma
ex illis con-
clusio colli-
gitur.

Negare non possumus neque volumus auctoritates antiquorum Patrum hujusmodi recipere interpretationes: quin imò videntur necessariae, nè debeamus admittere præcipuum & solum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, quod supra damnat Concilium Tridentinum: nihilominus probabiliter ex illis colligimus cum S. Thom. 4. dist. 9. q. 1. art. 3. quæstion- cula 2. etiam remissionem mortalium interdum vi Sacramenti conferri. Verba Do- ctoris Angelici sunt: *Vnde si aliquis per hu- iusmodi signa, factâ diligenti discussione sua conscientie, quamvis forte non sufficienti, ad corpus Christi devotè accedat aliquo peccato mortali in ipso manente, quod cognitionem præterfugiat, non peccat; imò magis ex vi Sacramenti pec- cati remissionem consequitur.* Vnde Augustinus dicit in quodam sermone, quod quando corpus Christi manducatur, vivificat mortuos.

Et quamvis verba illa D. Aug. Vasquez in ipso non inveniit, neque reperiantur in locis decreti, quæ citantur in margine

S. Thomæ, non dubito tamen haberi pro- pter auctoritatem & sanctitatem tanti Do- ctoris, cujus Summa omnibus dicitur & verè est Augustinus contra. Esto equidè non habeatur; ùm univèrsa Schola Theolo- gica admittat reviviscèntiam Baptismi pro- pter solam auctoritatem D. Augustini, imò Card. Lugo etiam reviviscèntiam cætero- rum Sacramentorum, exceptâ Eucharistiâ, absque ullius Patris, Scripturæ aut Con- ciliij auctoritate; cur non liceat nobis proba- biliter asserere propter doctrinam D. Tho- mæ summi cultoris & propugnatoris Eu- charistici, hoc Sacramentum vi suâ in casu posito causare primam gratiam?

Respondet Card. Lugo supra n. 24. di- ctum S. Thom. non debere intelligi de effectu infallibili, sed aliquando contingenti, eo quod aliquando credi potest, quod illi homini detur auxilium ad contritio- nem, quâ mediante resurgat à peccato. Quomodò explicat eundem Sanctum in Summa 3. parte quæst. 79. art. 3. in fine corporis, ibi: *Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto; sicut cum quis prius iustificatur à peccato. Alio modo etiam perceptum ab eo, qui est in peccato mortali, cu- ius conscientiam & affectum non habet: forte enim primo non fuit sufficienter contritus; sed devotè & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ con- tritionem perficiet & remissionem peccati.* Ergo (inquit Card.) non remittitur peccatum immediatè per hoc Sacramentum, sed me- diante verâ contritione, quam fallibiliter impetrabit susceptio Eucharistiæ.

Contra Primò: Ergo tantam habet vim remittendi peccata Eucharistia ex mente D. Thom. ut est Sacramentum, quantam habet, ut est Sacrificium; quod tamen negat Auctor iste supra n. 21. Secundò etiam Sacramentum Pœnitentiæ ex attritu effi- cit contritum, ut communiter dicitur; ne- mo tamen propterea negat Pœnitentiâ immediatè & infallibiliter delere peccata; sed sensus est, Sacramentum cum attritio- ne æquivalere contritioni in causando gra- tiam remissivam peccatorum, sive (ut lo- quitur Doctor Subtilis 4. dist. 14. q. 2. n. 15.) *Idem motus, qui prius fuit attritio, in illo instanti fit contritio: quia in illo instanti fit com- mitans gratiæ, & ita actus formatus, quæ habens secum charitatem, quæ est forma actus.*

Atque hoc est, quod asserit Doctor An- gelicus supra: *Consequetur (inquit) per hoc Sacramentum, ex opere scilicet operato, gra- tiam charitatis, quæ perficiet contritionem sive attritio-*

Licet proba-
biliter as-
serere con-
clusionem
propter do-
ctrinam D.
Thomæ.

49.
Non satis
facit Lugo
explicans
dictum D.
Thomæ de
effectu con-
tingenti.

50.
Quod est
dicitur pri-
mo.

Ostenditur
secundò.

Secundò

S. Thomæ.

attritionem, remittendo peccata. Et ibidem: Ad primum ergo dicendum, quod petimus ut hoc Sacramentum sit ablutio scelerum; vel eorum, quorum conscientiam non habemus (secundum illud Psalmi: Ab occultis meis munda me Domine) vel ut contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem; vel etiam ut nobis robur detur ad scelera vitanda.

51.
Non deducitur oppositum conclusionis ex institutione Sacramenti Eucharistiae. Thoro. 2.

Venio ad institutionem Sacramenti Eucharistiae, ex qua (inquit Vasquez supra) oppositum deduci videtur. Sed quid dicit Scriptura Threnorum 2. vers. 14. *Propheta tui viderunt tibi falsa*: nam etiam secundum Lugonem supra num. 16. Extrema Unctio (quae est Sacramentum vivorum) instituta est secundario ad remittenda peccata mortalia: ergo ex institutione Sacramenti Eucharistiae, multo minus ceterorum, praecise qua habent rationem Sacramenti vivi (ut sic loquar) non deducitur oppositum; immo neque ex singulorum institutione particulari, ut satis liquet ex dictis; & amplius constabit ex dicendis proprijs locis.

Igitur omnia quidem Sacramenta instituta sunt ad causandam gratiam; quibusdam tamen superadditum est praecipuum, ne suscipiantur nisi a iustificatis; quae proinde dicuntur Sacramenta vivorum, quia ex praecipuo divino requirunt vitam spiritualem seu gratiam in suscipiente; ita quod peccator accedens scienter cum sola attritione nullum omnino ex tali Sacramento recipiat fructum gratiae; quia ponit obicem peccati mortalis actualis.

Ne autem controversia haec tota appareat speculativa; huiusmodi ex illa deducitur conclusionem practicam:

CONCLUSIO VI.

Eucharistia debet subinde moribundo administrari, quamvis existimetur esse in statu peccati mortalis: Extrema Unctio nunquam, si aliquo casu sine praevio signo doloris possit absolvi.

52.
Causa Conclusionis.

Causa sit iste: Joannes acceptat duelum, committit pugnam, lethaliter vulneratur, signa dat doloris, sed imperfecti tantum, id est, attritionis. Quid facti opus? si desit copia Sacerdotis, Diaconus potest & debet administrare Eucharistiam;

siquidem in extrema necessitate obligamur ex charitate proximo succurrere quocumque medio probabili. Adest Sacerdos; prius absolvat sacramentaliter, quam communicet agonizantem, vel inungat. Ut quid hoc? quia status gratiae est dispositio necessaria ex praecipuo.

Vides jam differentiam inter Eucharistiam & Extremam Unctionem? Indubie enim solus Sacerdos est validus minister Extremae Unctionis; adeoque nulla potest occurrere necessitas inungendi sine praevia absolutione, nisi tanta esset ignorantia Sacerdotis, ut nesciret verba essentialia, quae profecto moraliter est impossibilis ex hypothesi quod sciat vel ex libro legere, vel ex memoria recitare formam Extremae Unctionis.

Petes, quid faciendum si aegrotus, quia destitutus sensibus, nulla dederit signa doloris? Respondeo: si Catholicè vixit, maxime per frequentationem Sacramentorum, prius absolvetur; quia probabilis est multorum sententia (de qua proprio loco) valere absolutionem: alioquin deficiente probabilitate illius sententiae, inungendus est, ut docet praxis Ecclesiae; ut enim susceptioni huius Sacramenti (inquit Suarius tom. 4. de hoc Sacramento disp. 42. sect. 1. n. 6.) consentire censetur, satis est, quod quacumque probabili ratione praesumatur esse dispositus ad Sacramentum recipiendum, quod semper praesumendum est, quoties contrarium non constat; quia qui malus non probatur, bonus esse praesumitur. Qui autem praesumitur bene dispositus ad justificationem, etiam creditur habere, & revera habet virtute voluntatem suscipiendi illa media, quae hic & nunc ad suam salutem vel necessaria sunt vel valde utilia. Ita hic Auctor, addens in fine ejusdem sectionis, ministrum licite posse dare hoc Sacramentum infirmo sensibus destituto, quamvis credat illum non esse in statu gratiae, dummodò ei constet fuisse attritum.

53.
Quid faciendum sit, si aegrotus nulla dederit signa doloris.

Rectè, quoniam secundum sententiam Suarii (quam secuti sumus conclusione praecedenti) hoc Sacramentum de attrito facit contritum (ut loquitur) quoties suscipiens de novo non peccat in illius susceptione; sed ille recipiens non peccat de novo; nam ratione talis status est incapax novi peccati, & aliàs supponitur attritus; ergo fiet contritus virtute Sacramenti. Porro quae Extremae Unctionis, eadem est Eucharistiae causa, si absit periculum irreverentiae externae; & quia illud plerumque adest, consuetudo habet, ut taliter constitutis solum administraretur Extrema Unctio.

Suarium

Q

Ex

54.
Illatio.

Ex dictis ulterius infero, omnem illum recipere fructum Sacramenti, quantumcumque sit in peccato mortali, qui absque novo peccato mortali, quâcumque ratione excusetur, accedit ad Sacramentum, si supernaturaliter, saltem per attritionem, fuerit dispositus.

Hucusque de dispositione peccatoris. Sed quid de iusto? Numquid & in illo præter intentionem suscipiendi Sacramentum, necessaria est aliqua actualis & supernaturalis dispositio? Certum in primis est requiri ad minus attritionem ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ; quippe quæ non ita est dispositio, quàm quasi pars ipsius Sacramenti. Intelligendo igitur quæsitum de actu propriè & strictè dispositivo, Respondeo:

CONCLUSIO VII.

Ad dignam & fructuosam Eucharistiæ (eadem est ratio aliorum Sacramentorum) susceptionem non requiritur in homine iusto præter intentionem actualis aliqua devotio.

55.
Probatio ex Tridentino.

Est communis, & probatur Primò ex Tridentino sess. 13. cap. 7. ubi ad dignam susceptionem Eucharistiæ non requiritur nisi probatio ex Apostolo Paulo 1. Cor. 11. per sacramentalem confessionem; & cap. 8. docet illos sacramentaliter simul & spiritualiter sumere hoc Sacramentum, qui ita se priùs probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant. Quis autem ambigat hominem iustum, Dei filium adoptivum, vestem nuptialem indutum? Planum quoque est sacramentali confessione non indigere.

56.
Et ex eo, quod olim Eucharistiæ, & hodie Confirmatio ministratur parvulis.

Confirmatur: quia olim Eucharistiæ ministrabatur parvulis, & hodie Confirmatio, in quibus non est alia dispositio, quàm habitualis, nimirum gratia justificans. Clariùs idem cernitur in phreneticis & amenitibus, qui priùs habuerunt usum rationis, in quibus proinde prærequiritur voluntas propria, & tamen non est necessaria devotio actualis. Si amentia excusat, quare non etiam inadvertentia? Accedat praxis moderna totius Ecclesiæ conferens Extremam Unctionem infirmo extra usum rationis constituto, in quo nequidem est actualis

Et ex praxi moderna Ecclesiæ.

voluntas & intentio suscipiendi Sacramentum, quæ tamen est magis necessaria.

Sicut ergo ad valorem Sacramenti & fructum in phreneticis & infirmis sufficit voluntas præterita non retractata; pariter ad fructum Sacramenti sufficit devotio virtualis seu habitualis in illis, qui sunt compotes rationis. Quippe certum est ad fructuosam Pœnitentiæ non exigi contritionem (quæ est quasi materia Sacramenti) actualiter existentem & præsentem, quando datur absolutio; similiter neque confessionem; sed sufficit fuisse præteritas, cum morali aliqua connexionem: ergo potiori ratione sufficit devotio præterita, quam habuit aliquis, dum priùs desideravit accedere ad Sacramentum: quid enim aliud est devotio, nisi affectus erga Sacramentum? Hæc autem semper intervenit quoties adultus voluntariè recipit Sacramentum, cum semper debeat præcedere voluntas illam suscipiendi, quæ voluntas perseverat moraliter, quamdiu non revocatur: imò etiam virtualiter ferè semper; quia de facto influit & causat susceptionem Sacramenti. Ita Card. Lugo de Eucharistiæ (de qua est præcipua quæstio) disput. 14. sect. 3. numero 37. & sequentibus.

Sicut ad valorem Sacramenti in infirmis sufficit voluntas præterita non retractata, ita quoad compotes rationis sufficit devotio habitualis.

Que semper intervenit, quoties adultus voluntariè recipit Sacramentum.

Ubi n. 41. confirmat suam doctrinam exemplo Sacrificij, quod causat suum effectum in eo, pro quo offertur, quando in ipso tempore actualis oblationis Sacerdos distractus est, aut sine actuali devotione. Nec dicitur (inquit) in ratione Sacrificij offerri etiam à Christo, qui semper habet actualem devotionem, & ideo semper operatur suum effectum; hoc (inquam) non satisfacit, quia etiam in ratione Sacramenti habet suam efficaciam ab eodem Christo, qui per Sacramenta operatur & applicat sua merita.

Addit: Immo magis videtur pendere in ratione Sacramenti à solo Christo, quàm in ratione Sacrificij; nam Sacrificium ita offertur à Christo, ut etiam verè & propriè offeratur à nobis; & ideo est Sacrificium & oblatio non solum Christi, sed nostra. At verò ut Sacramentum, non est nisi solius Christi, qui per illud significat & operatur gratiam. Ita Eminent. Verè, an falsò, judicet æquus lector; nil enim referet ad doctrinam propositam. Meo certè iudicio falsum est, quod ibi docet.

Ostendo: quia quemadmodum Christus nunc offert sive sacrificat Sacerdotum ministerio, qui se ipsum in cruce obtulit crucientè, & in ultima cœna incruentè; ita etiam nunc conficit Sacramentum Eucharistiæ mini-

57. Confirmatio Lugo nis

58. Refellitur

ministerio Sacerdotum, quod in ultima cœna per se ipsum confecit. Et sicuti Sacerdos ut minister Christi & in persona eius proximè offert idem Sacrificium, quod Christus per se ipsum obtulit in ultima cœna; pariformiter ut minister Christi conficit idem Sacramentum, quod Christus per se ipsum in ultima cœna confecit; eisdem quippe verbis, quibus instituit Christus Apostolos & successores eorum ministros Sacrificij, etiam ordinavit ministros Sacramenti; neque minor intentio requiritur in ministro ad Sacramentum, quàm ad Sacrificium: etenim sacrificare est consecrare; porro consecrare est offerre, id est, conficere corpus & sanguinem Christi sub speciebus panis & vini in protestationem summi dominij Dei in vitam & mortem. Quis jam non videt Sacerdotem tam propriè esse ministrum Sacramenti, quàm Sacrificij? Ut quid ergo Sacramentum dicitur actio solius Christi magis, quàm Sacrificium?

Sed redeamus ad doctrinam principalem, quam ibidem Card. n. 42. non malè elucidat exemplo Martyrij, quod confert effectum suum martyri actualiter distracto, v. g. si in mare projectus totus sit in hoc, ut natando perveniat ad litus; cum tamen effectus ille fundetur in operatione honesta ipsius patientis, voluntariâ scilicet acceptione mortis. Ergo multò magis Eucharistia & alia Sacramenta conferent suum effectum homini justificato absque dispositione devotionis actualis; cum homo suscipiens Eucharistiam minùs de suo conferat ad gratiam, quàm qui patitur Martyrium, saltem non plùs.

Porro quòd æquè multùm posset alicui videri propter hanc rationem; quia non minùs ad effectum Sacramenti in homine adulto requiritur voluntaria receptio Sacramenti, quàm ad effectum Martyrij requiritur voluntaria permissio mortis. Cæterùm in eo est disparitas, quòd Sacramentum sit causa moralis gratiæ; minimè verò illatio mortis, ut proinde causa movens Deum ad dandam gratiam ultra condignum Martyri, non sit illatio mortis; causa autem movens ad dandam gratiam per Sacramentum, sit ipsa actio sacramentalis, seu ipsum Sacramentum, quòd à Christo institutum est ad causandam gratiam; secùs mors Martyris aut illatio mortis.

Probatur secundò Conclusio à posteriori: quia si defectus devotionis præsentis impediret omnem effectum, sequeretur hominem sub mortali debere procurare devotionem actualem (ut patebit ex

dicendis infra sect. ultimâ hujus disputationis) quòd tamen est contra omnium fidelium existimationem. Dixi signanter, omnem effectum; quia libenter fatemur per actualem devotionem meliùs disponi hominem, atque ad eò majorem gratiam & uberio rem effectum Sacramenti accipere.

Probatur tertio & principaliter: quia ejusmodi necessitas, cum pendeat ex libera voluntate Christi; non est ponenda absque fundamento sufficienti. Et quidem nullum adfertur, quòd generaliter probet ad omnia Sacramenta requiri in homine justo actualem devotionem; duo autem præcipua pro Sacramento Eucharistiæ sic facillè evecto.

Primum sumitur ab experientia: videmus quippe multos Sacerdotes quotidie celebrantes, adeoque communicantes, qui tamen parum vel nihil in spiritu proficiunt.

Sed contra Primò: homo in statu gratiæ per quodlibet opus bonum supernaturale meretur de condigno & accipit augmentum gratiæ; & tamen quàm parvum profectum in perisque advertimus!

Secundò: rarissimùm est, quòd Sacerdos celebret absque ulla actuali devotione. Igitur augmentum illud non advertitur per experientiam; quia in primis virtutes infusa non dant facillè, sed simpliciter posse: auxilia verò actualia non dantur (ut dictum est supra) nisi tempore opportuno, v. g. quando instat occasio peccandi; & hinc fit, quòd illi, qui frequentius communicant, rariùs cadant in peccatum mortale.

Accedit, quòd fructus Sacramenti sæpè impediatur ab effectu suo sollicitudinibus sæculi, negotijs, curis & tentationibus. Denique; cum hoc Sacramentum institutum sit per modum cibi, adeoque sapiùs sumendum, non influit auxilia in longum tempus, sed solum in propinquum, eaque subordinata liberæ cooperationi voluntatis.

Pulchrè ad propositum D. Bernardus S. Bernardus Sermone in Cœna Domini: *Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum ulceris huius ferre queat? Considerate, quia & in hoc gratia subvenit; & ut securi sitis, Sacramenti Domini Corporis & Sanguinis pretiosi investituram habebis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpè modo, non tam acerbos sentit iracundia motus, invidia, luxuria ac cæterorum huius-*

Q₂

59. Confirmatio Conclusiois ex Martyrio, quod confert effectum suum actualiter distracto.

60. Conclusio probatur secundò.

61. Probatur tertio.

Non obstat, quod quotidie celebrantes non advertit in spiritu proficere.

62.

S. Bernardus

huiusmodi, gratias agit Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.

63. Non obstat secundo, Eucharistia conferre suum effectum per modum cibi.

Secundum fundamentum fit: Sacramentum Eucharistiae (ut jam dixi) confert suum effectum per modum cibi: porro cibus non nutrit sine actuali cooperatione viventis, in cuius substantiam convertitur. Sed ad hoc responsum est conclusione praecedenti. Adde hic, in parvulis & phreneticis nullam inveniri cooperationem, & tamen Eucharistia confert ipsis suum effectum per modum cibi; quia (ut ibi diximus) non convertitur cibus in sumentem, sed potius e contra sumentem

convertit in seipsam.

Dices: Saltem requiritur semper cooperatio in adultis. Esto: dico voluntatem suscipiendi Sacramentum magis esse cooperationem, quam praesentem devotionem, cum haec aliquando non influat, v. g. in homine extraneo, quando illa contemplatio & amor ex ea ortus non sunt causa accipiendi Sacramentum, sed voluntas praeterita qua accessit, qua semper influat & causet quatenus virtualiter perseverat.

Voluntas suscipiendi Sacramentum magis est cooperatio, quam praesens devotio.

Atque haec fit finis hujus sectionis; habent enim molestissimam quaestionem quae sequuntur.

SECTIO SEXTA.

De Reviviscentia Sacramentorum.

1. Sacramentum quandoque valide recipitur, sed sine fructu.

Contingit interdum Sacramentum aliquod, puta Baptismum, valide suscipi, sed sine fructu, defectu debita dispositionis; & tunc non levis oritur controversia, utrum accedente necessaria dispositione, Sacramentum praexistens ex opere operato causet gratiam, veluti si jam actualiter ministraretur?

Secus.

Quod alijs verbis proponit Doctor Subtilis 4. dist. 4. q. 5. An adultus factus recipiat effectum Baptismi? (Idem quaeri potest de alijs Sacramentis) Respondet autem n. 2. Factus dicitur, qui aliud praerendit exterius, aliud habet interius: potest ergo aliquis in suscipiendo Baptismum esse factus dupliciter. Vno modo, quod ostendat se velle recipere illam abluionem eo modo, quo Ecclesia intendit eam conferre, & tamen oppositum habet in animo; & ille non recipit Sacramentum, quia simpliciter est nolens respectu abluionis sacramentalis..... & si talis postea recederet a fisione, esset baptizandus..... Alio modo potest aliquis esse factus, ostendendo se esse dispositum ad recipiendum Sacramentum, & tamen non est dispositus interius, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu (v. g. simoniam, odium proximi &c.) vel praeteritum, de quo nullo modo atteritur vel contertitur. Et de isto secundo modo communiter loquuntur Sancti & Doctores de fide baptizato, quaerentes

Hinc quadruplex quaestio.

Primo, an in ipsa susceptione Sacramenti accipiat ejus effectum, puta gratiam sanctificantem? Secundo, an sublatam fisione live obice (ut vocant) gratiam sacramentalem accipiat vi praesentis Sacramenti? Tertio, an vi ejus accipiat remissionem om-

nium peccatorum, tam scilicet eorum, quae commissa sunt tempore susceptionis Sacramenti, quam praecedente? Quarto, quamnam ad hoc dispositio requiritur?

Ad primam quaestionem facilis est responsio; Dico (utor verbis Scoti supra) quia nolentem Deus non iustificat, secundum illud Aug. Qui creavit te sine te, non iustificabit te sine te; iste qui habet actualiter obicem contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntatis committit vel quod prius commisit, & nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam, secundum August. ubi supra: Omnis qui suae voluntatis arbiter constitutus est, &c. Et de isto intelligitur illud Sap. 1. v. 5. Spiritus Sanctus discipline effugiet factum. Vide dicta sect. praecedenti.

2. Responsio ad primam.

Pro responsione ad secundam quaestionem erit

CONCLUSIO I.

Sacramentum Baptismi valide collatum, si propter fisionem seu obicem in suscipiente repertum informe fuerit, id est, gratiam sanctificantem (characterem semper imprimit) non contulerit, eam conferet postea, cum factio seu obex subla-